



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

7. S. Thomas Aquin

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

suspiriis, affectibus, & devotis tesseris  
per diem salutarem, desiderantes:  
*Sitivit in te anima mea! quando ve-*  
*niam, & apparebo?*

*Instructio meritoria.*

In utraque refectioe spiritualem re-  
flexè communionem instituamus, men-  
taliter videlicet adorandò Sanctissimum,  
& dicendo: *Jesu! nolo vivere sine te.*  
*Veni, & ciba, pota, ac refice me. In te*  
*credo, spero, te amo super omnia. Re-*  
*citemus & Psalmum: Quam dilecta ta-*  
*bernacula tua Domine virtutum. Cui*  
*malè, si cum Jesu Eucharistico?*

Solemnitas Angelici Doctoris  
S. Thomæ Aquinatis sideris in sancto  
Dominicanorum ordine illu-  
strissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**F**ili! sedemus in tenebris, & in um-  
bra mortis? Quæramus solem, Ve-  
neremur S. Thomam, & illuminabit  
nos. Hujus sanctitate, & doctrinâ tri-  
umphat tota Ecclesia; quantò magis

L 5                      nostra

nostra unica, dilecta anima. Ad plausus, ad jubilos ergo.

*Instructio meritoria.*

Ut in ordine hoc Florentissimo prodeant plures ejusmodi soles, qui confundant, ac dissipent hæreticorum caliginem, & tenebras, omnia opera totius diei in hunc finem offeramus S. Thomæ, quem & Hymno Ambrosiano *Te Deum Laudamus* veneremur. Gaudium omne à bono, & si alienum, tamen nostrum est.

II.

**D** Thomæ totum vivere, aut legere, aut scribere, aut orare fuit. Ideò & portentum existit scientiæ. Fili! vacuum est cor nostrum; quia vacuum continuâ industriâ, labore, & vigilantia. Laboranti promissa est merces: otiosis exitium, & ruina.

*Instructio meritoria.*

Non deficiat nobis accurata temporis distributio. Tempora hodierna demus studio, devotioni, & Deo. Pro imitatione S. Thomæ Aquinatis antè quodlibet exercitium adoremus, & invocemus

mus

mus potens Dei auxilium cum hymno :  
*Veni S. Spiritus. Ab hoc nobis omnis sa-*  
*pientia, & eruditio.*

## III.

S. Thomas scripsit, & vixit solius Di-  
 vinae gloriæ causâ ; hinc illa ex ore  
 Christi deprædicatio : *benè scripsisti de*  
*me. Perperam vivit, iniquè & laborat,*  
*quisquis studiis in suis nihil quærit, quàm*  
*Deum. Fili ! vivamus, ut audiamus à*  
*Jesu : vixisti benè propter me.*

*Instructio meritoria.*

Quæ nostra in actionibus intentio ?  
 Elevemus sub his frequenter mentem ad  
 Deum contestantes cum Petro : *Domine ! tu scis, quòd amem te.* Opere  
 quodam peractò cantemus Domino :  
*Benedictus Dominus Deus Israël cum*  
*tribus, Pater, & Ave, atque notâ ora-*  
*tione : actiones nostras quæsumus &c.*  
 Et hoc an non sanctè opera consumma-  
 re est ?